Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2505
Quelle:
Copyright:

CODICES CASUISTICI.

660 — 685.

DCLX.

736 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 66. 4. minutissime per duas columnas scriptus et rubricis distinctus, quondamque *Fratris Henrici de Wilbering*, quod est Coenobium Ord. *Cist.* superioris *Austriae*, hoc rubro gaudet: *Incipit summa Magistri Raymundi* (de Pennaforti) *de ordine predicatorum et primo de Simonia*: Initium: *Quoniam ut ait Ieronimus Secunda post naufragium tabula est culpam simpliciter confiteri* &c. Opus istud ultimo recusum est *Lugduni* 1718. f. *Glossae*, quae in anterioribus Editionibus adjunctae ad *Johannem* Lectorem *Friburg.* referuntur, monentibus Ord. Bibliothecariis T. I. p. 109. ad *Guill. Redonensem* ejusd. Ord. *Johanne* longe antiquiorem pertinent. De celebri *Summae* hujus Autore, cujus obitus anno 1275. adsignatur, agunt Bibliothecarii mox *cit.* Liber IV. finit: *non inuidenti animo sed benigno corrigat et emendet.* Accedunt in *Cod.* Arbores Consanguinitatis et Adfinitatis; Principio vero ejus adscriptum est sequens Distichon:

O Romualde pater! mutata veste tua ter
Es factus frater bis candidus et semel ater.

In diversis enim Monasteriis vixit Parens hic *Camaldulensium*, ut in ejus Vita apud *Bolland. Baillet.* &c. habetur.